

DE SICILI CANTILENA

Seicilos barbarus et Caruius sibi et suis Trallibus aetate fere M. Aurelii monumentum fecit cum inscriptione, sicuti fieri solebat sibi placens imaginem addidit. Imago periit, inscriptio seruata est musicae ueteris monumentum praeclarum post multorum studia nuperrime editum in Iani supplemento ad musicos scriptores Graecos Lipsiae 1899 p. 38. Praeposuit distichon hoc: Εἰκὼν ἢ λίθος εἰμί· τίθησί με Σείκιλος ἔνθα μνήμης ἀθανάτου σῆμα πολυχρόνιον, sequitur carmen compositum harmonia Phrygia secundum illum modum quem δάκτυλον κατὰ ἰαμβὸν nominauerat Aristoxenus additis notis musicis, post hanc peniam secuntur uerba Σείκιλος ευτερ . . . Ζῆ (conf. O. Kernii inscriptionum Magnesiae indicem uerborum p. 264 s. u. Ζῆ). Aut perierunt aut desunt fere quattuor litterae: desiderari uix aliud quicquam potest nisi genetiuis id est nomen patris qui quod musicus erat et scaenicus εὐτερπῆς nomine nominabatur Εὐτέρπης sicuti Τέρπης citharoedus est in epigrammate A P IX 488. Clarus enim erat apud musicos Τερπιάδης ille Homeri.

Filius item musica arte doctus carmen interposuit friuolum et uile argumenti in titulis tritissimi, de cuius lectione constat, de interpretatione nondum constat. Cecinit Seicilos tale odarium:

ὄσον Ζῆς, φαίνου,
μηδὲν ὄλωσ σὺ λυποῦ·
πρὸς ὀλίγον ἔστι τὸ Ζῆν,
τὸ τέλος ὁ χρόνος ἀπαιτεῖ.

Verba sunt uulgaria, redolent aetatem Plutarchi Arriani Luciani. Versum tertium explices exemplo oportet e Plutarcho petito quale legitur consol. p. 116 A de donis deorum: οὐ δεῖ οὖν δυσφορεῖν, ἐὰν ἂ ἐχρησαν ἡμῖν πρὸς ὀλίγον, ταῦτ' ἀπαιτῶσιν (Arrian. dissert. Epict. IV 9, 4. 12, 1). Quo exemplo adductus etsi Pollux IX 31 commendat locutionem quam praebet

uersus quartus εἰσπράττειν τέλη, πρᾶττειν, ἀπαιτεῖν, ἐκλέγειν, tamen τὸ τέλος aduerbialiter esse accipiendum et ad ἀπαιτεῖν *uitam* esse supplendum ego quidem malo arbitrari. Uterque uersus et tertius et quartus recte constructus est quod pertinet ad numeros accentus sonos musicos, sed uerba ipsa produnt poetam misellum. Versu primo et altero idem illam sententiolam magis corrumpit quam dilatauit quam praebet poculum in uilla prope Boscoreale illa splendida repertum Archilochi et Menandri laruis insigne (Monuments Piot uol. V 1899 tab. VII 1 p. 65) εὐφραίνου δ(ν) Ζῆς χρόνον. Versus uterque est mancus et elumbis, numeri peruersi musica quod corriguntur id non excusabit poetam qui nimirum poeta eiusdem est prosapiae quales deridet Lucianus in conuiuio 41. φαίνου imperatiuum nemo adhuc apte interpretatus est: lectio certa est, interpretatio quam protulerunt non ferenda. Ego si quid recte sentio offendor constructione praua, male enim excipitur imperatiuus φαίνου uocabulo μηδέν neque probandum omnino est asyndeton. Agedum, eice istud φαίνου et omnia recte currere uidebuntur. Quod uocabulum tamen non eiciendum est, sed interpretandum, neque imperatiuus omnino potuit esse, sed uocatiuus. Alloquitur Seicilos uel feminam uel hominem uel puerum uel meretricem uel uxorem quod ut honestissimum in re incerta credere malis. Φαίνου itaque nomen mulieris est quod poni solet in eiusmodi cantilenis hoc ipso loco: 'tu ne quaesieris, scire nefas, quam mihi quam tibi finem di dederint, Leuconoe' scripsit Horatius. Uocabulum si barbarum est et indeclinabile, comparare licet Σούσου quod saepius legitur in inscriptionibus Asiae minoris (conf. Kretschmeri isagog. in hist. l. Gr. p. 352): nomen barbarum excusatur auctoris nomine barbaro Seicilos qui nominatur. Sin autem Graecum est, nominatiuus est aut Φαίνους uiri nomen aut Φαινοῦς feminae: Caricam esse formam Λόλους nominatiui exposuit Pfulius Berl. Phil. Wochenschrift XXIV 1904 p. 1181. Cuius uocabuli genetium fecerunt Λόλου, uocatiuum quomodo fecerint, ego quidem exemplis allatis docere nequeo. Docet autem Theodosius grammaticus Alexandrinus GG IV p. 14, 15 Hilgardi ὦ πλόε ὦ πλοῦ, quod Choeroboscus scholiasta p. 245, 1 enarrat his uerbis: δύναται δὲ καὶ ἀπὸ τοῦ ὀ πλοῦς γενέσθαι ὦ πλοῦ . . . οἶον . . . ὁ πλακοῦς ὦ πλακοῦ ὁ Σιμοῦς ὦ Σιμοῦ ὁ βοῦς ὦ βοῦ ὁ νοῦς ὦ νοῦ. Atque nos quidem de omnibus istis formis iure quaerimus ποῦ κέϊται, Vergilius tamen poeta barbarus similia aut sensit natura aut puer didicerat arte cum *Panthu* uocatiuum poneret Aen. II 322. 429

(conf. Neuius de formis I. Lat. I (Lips. 1902) p. 209). Itaque nihil impedit quominus barbarum illum hunc Φαίνου uocatiuum ex eadem qua illi fecerunt analogia finxisse credamus. Nomen ipsum hominis potest esse deriuatum a nomine eiusdem familiae longiore qualia sunt Φαινίππος Φαίανδρος Φαινοκλής Φαινόκριτος (conf. Fickius de nominibus personarum Graecis p. 272), comparari possunt nomina Φαίνις Φαινύλος Φαινώ: noua nomina eiusdem generis inscriptiones Asiae minoris suppeditant quale est Φαιναῖος Bull. d. corresp. hell. XVI p. 222, 60. Quodsi haec recte sunt exposita, amicum alloquitur cantor, ultimum tamen quod modo posui mulieris nomen Φαινώ monet, ne illam quam ut honestissimam supra dixi praestare rationem nunc neglegamus. Multa enim nomina feminarum in -οῦς exeuntia et in titulis Asiae et Aegypti leguntur et in papyris quae olim collegit Guilelmus Schulze Berl. Phil. Wochenschr. XIII 1893 p. 226 seq. Ἐπικτοῦς Εὐτυχοῦς Ῥοδοῦς Ἐπαφροῦς, nonnulla ueluti Ἄθαβοῦς addi possunt (rev. archéol. 1904 I p. 11). Potuit igitur secundum eandem quam supra tractaui analogiam a nominatio Φαινοῦς fieri uocatiuus Φαινοῦ, quo nomine uxorem suam allocutus est Seicilos uiuus uiuam. Verba ipsa uersus primi et alterius esse dixi uulgaria et friuola, locutio μηδὲν ὄλως inuenitur in titulo eiusdem fere et aetatis et generis in Kaibelii sylloge 128 μηδενὸς χρήζοντα ὄλως. Numeri corruerunt uel ea de causa quod poeta erat unus de multis uel ideo quod ille exemplar suum mutauit in quo non nomen Φαινοῦ, sed aliud quoddam nomen erat antiquitus positum. Nempe uersu tertio et quarto supra dixi concinere accentus ut debent eum sonis musicis: contra uersu primo in uocabulo ὄσον, repugnant (Monro the modes of anc. greek music Oxon. 1894 p. 91). Nam rei metricae Graecorum nouas regulas ex hoc misello cantico serae aetatis discere ego quidem recuso. Immo si uel Aristotelis Aristoxeniue aetate natum esset uile istud odarium, ne sic quidem inde de origine uersuum iambicorum quicquam uellem colligere. Nam et Aristoxenus et Aristoteles uetustam artem musicam, quibus rationibus restituere sint conati, non liquet. Atque in Aristotelis rhetorica III cap. 8 p. 1409 a 2 seqq. haec leguntur: λείπεται δὲ παιάν, ᾧ ἐχρῶντο μὲν ἀπὸ Θρασυμάχου ἀρξάμενοι, οὐκ εἶχον δὲ λέγειν τίς ἦν. ἔστι δὲ τρίτος ὁ παιάν, καὶ ἐχόμενος τῶν εἰρημένων. τρία γὰρ πρὸς δύο ἔστι, ἐκείνων δὲ ὁ μὲν ἐν πρὸς ἕν, ὁ δὲ δύο πρὸς ἕν. ἔχεται δὲ τῶν λόγων τούτων ὁ ἡμιόλιος· οὗτος δὲ ἔστιν ὁ παιάν. οἱ μὲν οὖν ἄλλοι διὰ τε τὰ εἰρημένα ἀφετέοι καὶ ὅτι μετρικοί· ὁ δὲ

παιὰν ληπτέος· ἀπὸ μόνου γὰρ οὐκ ἔστι μέτρον τῶν ῥηθέντων ῥυθμῶν ὥστε μάλιστα λαμβάνειν. Quo in loco multi inde a Godofredo Hermanno (elem. d. m. p. 193) offenderunt. Plane incredibile est ueteres rhetores nesciisse paeanis compositionem de qua tamquam nouum aliquid et nullo dictum ore prius tradit Aristoteles. Sed illi pedestri orationi sesquipedem rhythmum conuenire sentiebant, ideo quod in uersibus aut rarus aut nullus extabat et qui uidebatur extare paean uel creticus, reuera longe erat diuersus: inde factum est, ut ueteres rhetores illi de natura huius rhythmī arrhythmī tacerent, Aristoteles Macedo iam remotus a ueterum et indole et doctrina musica pedestris sermonis modum falso intulerit poeticae quem auctorem secuti sunt plurimi metrici cum damno doctrinae.

Atque in musica uetere Graecorum nihil est memorabilius quam systema quod διεζευγμένον nominatur in eadem lyra coniungi cum eo quod συνημμένον dicitur. In Sicili cantilena modus uersus primi et ultimi facile capitur ut e systemate priore sumptus, modus uersus alterius et tertii exeuntis meas quidem aures ferit tamquam sumptus e systemate quod dicunt συνημμένον. Harmoniam Phrygiam supra dixi, quamquam de modis musicis ueterum omnino eam quae uulgo fertur admodum dubiam esse doctrinam uel inde apparet, quod in nouis cantibus fere omnibus quot inuenti sunt litigant et discordant uiri docti de nomine harmoniae.

Lipsiae.

Fridericus Marx.